

Qui de suppositione status miratus fuit. Diximus tamen ei, quod cogitaret super hiis et ad ipsum suprascripto tempore veniremus. Et miramur^a, quod dominus Guillelmus dedit oblivioni dimittere nobis litteram per dominum^b archiepiscopum et alios correctam, sicut scitis.

Tribuat vobis Omnipotens successus prosperos et felices.

Scriptum Avinion., in vigilia nativitatis Domini J.^c

In verso: Excellentissimo domino nostro . . regi Franc.

Nuncii vestri . . episcopus Baioc., Gaufridus et alii.

Briefschnitte, Reste der Streifen, dreierlei Siegelreste (1 Siegel grün, 1 oblonges roth, 1 rundes roth).

V. Clemens V. an Philipp den Schönen. 1311 Jan. 19.

Or. Paris, Archives nationales L. 294 n. 33.

Clemens episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Philippo regi Francie illustri salutem et apostolicam benedictionem^d.

(1) Litteras, quas nobis tua excellentia destinavit datas Corbolii VII. die intrante Ianuario¹, eri XVIII. die eiusdem mensis benignitate recepimus consueta inter cetera continentes, quod quendam de consilio tuo fidelem pro certis secretis et arduis negotiis super ipsis tue conscium voluntatis ad nostram proponebas presentiam evestigio destinare, supplicans quatinus super negotiis Terre Sancte statum vel reges seu principes quoscumque tangentibus differre deliberationem nostram et expeditionem seu dispositionem quamlibet amore tui usque ad adventum predicti consilarii, qui vicinus aderit, dignaremur. Ad que tuam magnificentiam scire volumus, quod super hiis et aliis, quantum cum Deo possumus, cupimus condescendere votis tuis. (2) Verumptamen te nolumus ignorare, quod super facto coronationis carissimi in Christo filii nostri Henrici regis Romanorum illustris tam ipsius . . regis quam senatus et populi Romani sollempnes ambaxatores et nuntii, prelati et alii nostram presentiam adierunt requirentes ac supplicantes nobis humiliter oportune et importune, ut terminum sibi prefixum ad coronationem huiusmodi abre-

a) Auf grösserer radiierter Stelle Or. b) Ueber der Zeile von der zweiten Hand Or. c) 'J' von der zweiten Hand mit dunklerer Tinte Or. d) 'bn' Or.

1) Dieser Brief war schon 1366 nicht mehr erhalten; der Catalog kennt ihn nicht.